

Badische Landesbibliothek Karlsruhe

Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe

Sanctae Mechtildis virginis ordinis Sancti Benedicti Liber specialis gratiae

**Mechthild <von Hackeborn>
Mechthild <von Magdeburg>**

Pictavii, 1877

XVII. De fratre Henrico.

[urn:nbn:de:bsz:31-60070](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:bsz:31-60070)

tate; decorat Sancti Spiritus largitate, remuneratque omnia ipsorum merita Trinitatis æternitate, gratias agens singulis quod ad suas nuptias convenerunt; illique Deo reddunt gloriam quod per ejus gratiam mortem perpetuam evaserunt.

INCIPIT TRACTATUS DE SANCTIS NONDUM
CANONIZATIS.

XVII. DE FRATRE HENRICO.

CONSUETUDO mihi erat ad sepulchra piorum accedere defunctorum, ipsosque tamquam Dei domesticos salutare. Accidit autem ut frater Henricus, sacerdos de Ordine Fratrum Prædicatorum, in die Dominicæ resurrectionis, postquam prædicavit et Missam celebravit, populumque sacramentó Dominico communicavit, et omnia rite Officia complevit, sacramentum Unctionis peteret et more acciperet christiano: quo facto, instante crepusculo, transiit de hoc mundo. Qui cum a me more solito salutaretur in tumulo, facta est in anima solemnitas eximia; et ostensa est mihi anima illius in Dei amplexibus delicata. Vidique quod ejus adhuc esset gloria imperfecta; et interrogavi Dominum, quamdiu sic deberet subsistere, et si quas pœnas purgatorii pertulerit. Respondit Dominus: « Per horas quatuordecim sic manebit, hoc est septem diebus et septem noctibus. » Reclinatus erat super pectus Jesu, ineffabili voluptate præ devotione intima, qualem expertus non fuerat in hac vita. Sic autem subito illuc sine cruciatu pervenerat, sicut mater subito dilectum filium ad suum gremium suscipit in cinere volutatum. Et dixit frater Henricus ad me: « Dic sorori meæ *Odæ*, quod eam infra quindenam volo in Domino consolari. » Quod et factum est; nam infra quindenam debitum carnis solvit. Tunc frater Henricus me ad suæ cœlestis susceptionis solemnia invitavit. Et ecce illa universa supernorum civium multitudo in occursum se illius felicitis animæ per suas cohortes et

IV. 22.

turmas ordinabat cum gaudio processura. Venit itaque dux et princeps exercitus sacri Ordinis Prædicatorum, gloriosus Dominicus filiorum suorum multitudine copiosa; qui singuliserta ferebant aurea ineffabiliter micantia, prout in carne positis promereri contulit misericors Dei clementia. Decurrens vero Pater de exilio revertenti filio, dux triumphanti militi de prælio, coronam protulit in morem solis mirifice radiantem, propter quod exemplorum ipsius vestigia fuerat imitatus. Excellebat tamen incomparabiliter omnes filios suos Pater excelsus in gloria; universorum enim merita ejus sunt beatitudinis incrementa. Byssus namque et purpura viridisque coloris jucunditas ipsius indumentum ornat, veritatis doctrinam cum patiendi desiderio exprimens ac innocentiam virginalem. Sequebantur autem omnes Prædicatores ac eorum consiliis adhærentes, insigneque præferebant vexillum dignitatis. Sic illa beata Fratris anima sedenti in throno oblata, pro obedientia grata, pro paupertate voluntaria, pro abjectione accepta, de manu ipsius et divitias accepit et gloriam, atque perpetuam libertatem. Gratias igitur agens dixit: « Gratias tibi, Domine, pro talentis mihi traditis, pro his quoque per tuam gratiam conservatis, quod tua majestas mihi misericorditer condescendit. » Et inclinans majestati conversus ad Fratres cum exultatione multa excipitur. Dixitque illi Pater Dominicus: « Bene venisti, dilecte fili, intra ¹ in gaudium Domini Dei tui, alleluia ². » *Tunc in jubilo mihi influente divinitus.... illam animam, summæ Trinitatis beatis amplexibus dulciter et inseparabiliter inhærentem. Vere non est acceptio personarum apud Deum; ecce enim mendicus cum gloria susceptus, sicut signaculum positus, inter brachia Altissimi, delectatur. Quod hæc merui sublimia intueri, hoc mihi exilium et despectio amicorum Dei, qua me contemnunt, utique contulerunt.*

1. Hic erat septimus chorus. *cod. Basil. in marg. Cf. cod. Einsied.*

2. Hoc non habebat inem. *cod. Basil. in marg. Cf. cod. Einsied.*